

denique necessaria: quia ritus non sunt pars cul-
tus divini ad salutem necessarij &c.

§1. Interim tamen Ecclesiae nostrae sua etiam
constat rituum & Ceremoniarum consonantia, si
per ritus illos intelligas administrationem Sacra-
mentorum secundum institutionem Christi Ser-
vatoris.

§2. Et sancè in his ritibus, si quicquam quoad
substantialia mutetur: Ecclesiae unitas mox la-
ditur: ac ab iis, qui hoc factitant, ad falsam Eccle-
siam fit secessio.

§3. Quoad reliquias Ceremonias, quæ verbo Dei
non sunt præceptæ, sed prædicationi Evangelij &
administrationi Sacramentorum subserviunt, sta-
tuimus, Genius quidem ipsum, nempe ordinem esse
necessarium, ut secundum præceptum Apostoli
omnia fiant εὐχημένως ἢ γὰρ εὐτάκτως 1. Cor.
14, 40. Sed quod in specie hos vel illos ritus atti-
net: Sicut eorum similitudo Unitatem Ecclesiae
non constituit: Sic dissonantia eandem non sol-
vit aut evertit.

§4. Interim tamen multis de causis optandum
quidem esse existimamus, ut in Ecclesiis Augustan-
am Confessionem amplexis, quemadmodum do-
ctrina, sic & ritum exacta esset conformitas: sed
ut talis aliqua sub necessitatis opinione fabrica-
retur, neque possibile, neque adeò tutum fore sta-
tuimus.